

## Vicentiae Ditio.

516

Regio.  
Soli fertilitas.  
Imperium majo-  
rum.

Urbes & Opida.

**V**icentia Ditio sequitur; cuius Ager ut amœnissimus: ita Vini Frugum aliarumque rerum fertilissimus: præcipue Mororum, quorum frondibus Bombyces aluntur. Haud procul Vrbe duæ nobiles Lapidicinae, in Monte, qui *Cornelius* Latinis, vulgo *Covelo*. Sunt & Marmorum in Valdanio vico. Vrbs ab *Tuscis*, vel, ut scribit, Trogus, ab *Gallis* condita, sequenti ævo in fidē diu sterit *Populi Romani*, usque ad *Attila* tempora, a quo vastata, post in *Gothorum*: inde in *Langbardorum*, postremo in *Italiae Regum* fuit potestate. Iis pulsus, libertate sua sub auctoritate *Imperii Romani* est usā usque ad *Frederici I I* Imper. principatum, a quo directa cremataque varios habuit Dominos, *Carrarienses* Patavinos, *Scaligeros* Veronenses, *Galeatios* Mediolanenses: *Vencos*. Tandem *Maximiliani I* Imperatoris armis infestata, ejusque fidei subjecta, *Venetis* ad extremum est reddita. Vrbs ipsa Trogo, Pomponio, Tacito, aliisque dicitur *Vicentia*: *Vicetia* Plin. & Antonino: *Bisetia* & *Bitetia* Aeliano, *O'vixevta*, Ptolemæo: vulgo *Vicenza*. Sita juxta radices collis, duobus amnibus, qui navigabiles, *Rerone* & *Bachilione* inæqualiter divisa. Non usque adeo elegans & magna: sed populosa, rerumque omnium copia abundans. Quatuor ibi notatu digna, Palatium Prætoris magnificum: Pons unius Arcus, Saxum solidum Aræ majoris in Ecclesia D. Laurentii, stupendæ longitudinis: Theatrum denique, vulgo *L'Academia*. Cænobium ibidem D. Coronæ, ubi pulcherrima Bibliotheca. Incolæ ingeniis sunt vividi: ad litteras, militiam, mercaturam promptissimi, faciendæ rei perpetuo sudantes: splendide vivunt, honeste vestiuntur. Episcopus gaudet dignitate. Porro in *Vicentinorum* ditioe Opida sunt *Marostica* celebre & divitiis affluens Opidum: *Brendulum* divitiis, nobilitate ac frequentia nobile: *Lenicum* cum opibus & multitudine, ac nobilitate, tum amplitudine, multis Italiæ Civitatibus par. Est & sexto supra *Vicentiam* lapide, Austrum versus, pagus & Castellum *Custodia*, quod ibi quomdam noxii homines custodiri consueverint in vastis *Latumiis*, ad cædendos ædificiis faciundis lapides,

## Patavii Ditio.

Regio.  
Situs.

Soli fertilitas.

**S**uperest Ager *Patavinus* nobis in hac Tabula describendus. Hic apud *Bernardinū Scardeonium* describitur his terminis: *A Meridie Athesis Fluvius* procurrit: *a Septentrione Muso* annis parvus dilabitur: *ab Oriente æstuarium Veneriarū*: *ab Occidente vero Colles sunt Euganei & Ager Vicentinus*. Patet omnis hic circuitus *CLXXX P.* *M: in quo Sexcenta & quadraginta septem Villa seu Pagi*. Dicere solitus scribitur ab *Coelio Rhodigino Cōstantinus Palæologus*: nisi sciret a *Sanctissimis Viris* affirmari, in Oriente *Paradisum* esse, arbitrari se non alibi eū reperiri posse, quam in persuasi *Patavina amœnitate*. Ager *Frumenti*, variorum *Fructuum*, *Vini* etiam generosissimi ferax: unde *Martialis*: *Pictæque pampineis Euganea arva jugis*. Venationibus insuper, *Aucupii* & *Piscationibus* frequens. Mirabilem rerum omnium copiam Incolæ triviali celebrant proverbio: *Bologna la grassa, Padova la passa*.  
Vrbs